



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI 1417. fia Constantiensi prædicta usque ad monasterium sancti Augustini conductus, & per circuitum ad Constantensem ecclesiam prædictam fuit solennissime reductus.

SESSIO XLII.

ANNO Domini millesimo quadragecentesimo decimo-septimo, indictione undecima, die vero Martis vigesimocattava mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, fuit sessio generalis in ecclesia maiori Constantiæ, sanctissimo domino nostro papa prædicto personaliter præsente ibidem & præsidente. In qua reuerendissimus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis Missam de sanctis Innocentibus deuote celebravit. Qua celebrata, reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiae presbyter cardinalis, de mandato sanctissimi domini nostri ac sanctæ Synodi prædictorum, in ambone solito stans, quamdam bullam infra scripti tenoris publice legit.

Bulla liberationis factæ domino imperatori de custodia olim Joannis vigesimocattavi papæ, & traditione domino nostro papæ factis.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio Sigismundo regi Romanorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum præsens sacrum generale Concilium Constantiense personam Baltassaris Cossa, olim Ioannis papæ vigesimocattavi in sua obedientia nuncupati, post illius a patatu per definituam sententiam eiusdem Concilii canonicam depositionem, per eamdem sententiam ad standum & morandum in aliquo bono & honesto loco sub custodia tuta nomine dicti sacri Concilii, quamdiu eidem sacro Concilio pro bono unionis ecclesie Dei videretur, condemnauit: quem hucusque fideliter & diligenter tam per te, quam per dilectum filium nobilem virum Ludouicum ducem Bauariæ & comitem Palatinum Rheni, tuo nomine sub fide & tuta custodia, honeste & debite, tamquam unionis & pacis zelator deuotus conseruasti.

Cum autem nuper nos & nonnullos nationum in eo-

dem Concilio existentium deputatos , instanter & saepe requisiueris , quatenus personam dicti Baltassaris prædictam de tua custodia recipere , teque & eumdem ducem de eiusdem Baltassaris prædicta custodia liberare & exonerare vellemus. Nos attendentes , quantis laboribus & studiis pacem & vniōnem ecclesiæ omnipotentis Dei nostri fueris prosecutus , satisque esse , quod tu onus dictæ custodiæ iam per biennium & pene per sex menses laboriose (quod pro magno habemus beneficio) subiisti , volentes te ac eumdem ducem (vt iustum est) ab omni onere liberare , (eodem sacro approbante Concilio) decernimus & ordinamus , personam eamdem dicti Baltassaris nobis , aut deputandis a nobis fore tradendam & assignandam , decernentes & declarantes , ac volentes (eodem sacro approbante Concilio) per traditionem & assignationem huiusmodi deputandis a nobis , per te aut dictum ducem , vel alium seu alios tuo nomine faciendam , eo ipso quod illas fieri continget , te & ducem eumdem ab omni onere , debito & obligatione dictæ custodiæ , & alias occasione illius contractis apud nos & idem sacrum Concilium ac ecclesiam vniuersalem , esse ac perpetuo remanere liberos , solutos penitus & immunes. Si quis autem hanc paginam decreti , ordinationis , declarationis & voluntatis nostræ infringere præsumperit , aut ei ausu temerario contraire , indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Constantiæ in Concilio generali , * sexto Kalen- ^{* quinto} das Ianuarii , pontificatus nostri anno primo.

Quo decreto lecto , dominus Ioannes episcopus Ostiensis , sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius , totius Synodi nomine per verbum Placet , respondit.

Super quibus omnibus & singulis egregius legum doctor dominus Augustinus de Pisis , sacri consistorii & fisci domini domini nostri papæ aduocatus ; nec non magister Ioannes de Scribanis & Henricus de Piro promotores & procuratores dicti sacri Concilii , nominibus quibus supra , sibi a protonotariis , notariis atque scribis dicti domini nostri papæ & sacri Concilii , ad futuram rei memoriam , vnum vel plura , seu tot quot essent necessaria , fieri p̄tierunt ,

MARTINVS CONSTANTIENSE. SIGISMUNDVS 601
P.V. IMP.

ANNO CHRISTI 1418. tierunt, & quilibet ipsorum petiit instrumentum publicum, seu publica instrumenta. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis dominis Ioanne Ostiensi, Laudensi, de Vrsinis, Venetiarum, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, de Chalanco, de Fuxo, de Comitibus, sanctæ Romanae ecclesiæ cardinalibus; nec non regum, principum, prælatorum, nobilium, vniuersitatum, studiorum, communitatum & collegiorum ambasiatoribus & nuntiis, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XLII.

ANNO Domini millesimo quadringentesimo decimo-octauo, indictione duodecima, die vero Lunæ vigesima prima mensis Martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, Constantiæ in ecclesia maiori fuit tenta & celebrata ipsius sacrosanctæ & vniuersalis Synodi Constantiensis sessio publica, sanctissimo domino nostro papa prædicto præsidente. Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanae ecclesiæ presbyter cardinalis Missam de Spiritu sancto celebrauit. Et iuxta ritum solitum litaniis & aliis deuotis orationibus lectis, idem reuerendissimus pater dominus Guillermus cardinalis nonnulla decreta, siue statuta per dominum nostrum papam ac Synodum eosdem facta, publice perlegit sub his verbis.

De exemptionibus.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei.

Attendentes, quod a tempore obitus felicis recordationis Gregorii papæ undecimi prædecessoris nostri, non nulli Romani pontifices, aut pro Romanis pontificibus se gerentes, & in suis diuersis obedientiis reputati, pro sua voluntate, aut per importunitatem potentium nonnullas ecclesiæ, monasteria, capitula, conuentus, prioratus, beneficia, loca & personas a iurisdictionibus ordinariorum tempore dicti Gregorii nullatenus exemptos, vel exempta, de nouo a dictorum ordinariorum iurisdictione.

Concil. Tom. 29.

Ggg